136

entes quattuor impleuimus libros. naturam uero rei, uimque exprimendam huius quinti uolumi
nis seriem distulimus. Armonica est facultas differentias acutorum ac grauium sonorum sensu
ac ratione perpendens. Sensus enim ac ratio quasi quaedam facultatis armonicae instrumenta sunt.
Sensus namque confusum quiddam ac proxime tale quale est illud quod sentit aduertit. Ratio uero diiu
dicat integritatem atque imas persequitur differentias. Itaque sensus inuenit quidem confusa ac proxi
ma ueritati, accipit uero ratione integritatem. Ratio uero ipsa quidem inuenit integritatem, ac perpendit
cipit uero confusam ac proximam uerisimilitudinem. Namque sensus nihil concipit integritatis, sed usque
ad proximum uenit. Ratio uero diiudicat. Velut si quis manu circulum scribat, fortasse eum uerum circulum
oculus esse arbitretur. Ratio uero nullo modo esse id quod simulatur intellegit. Hoc uero idcirco est, quoniam sen
sus circa materiam uertitur, speciesque in ea comprehendit, quae ita fluidae atque imperfectae nec de
terminatae atque ad unguem purum expolitae, sicut est ipsa materia. Quare sensum quoque confusio se
quitur. Mentem uero atque rationem, quoniam materia non moratur, species quas peruidet praeter subiecti
communione ratio intuetur, atque ideo eam integritas ueritatis comitatur. Ac ueritas potiusque quod in sensu
aut peccat aut minus est, aut emendat aut complet. Fortasse autem id quod sensus non inte
gre sed confuse atque a ueritate minus quasi quidam incallidus aestimator agnoscit. In singulis
minus habeat erroris, collecta uero in unum multiplicantur in summam, atque idcirco maximam
faciunt differentiam. Nam si duas uoculas tonum sensus distare arbitretur neque distent, Rursusque
ab una ad aliam tonum distare putet tertiam neque sit integer ac uerus toni distantia. Item tertiae quartae
que toni sensus differentiam putet atque in eadem quoque erret neque sit differentia toni ab tertia ad quar
tam. quintam distare semitonium putet neque uere atque integre aestimet. In singulis fortasse mi
nus uideatur erratum. Quod uero in primo tono sensus reliquit atque id quod in secundo et tertio atque
in quarto semitonio peccatum est, in unum congregatum atque collectum efficit ut prima uox ad quintam
uocem diapente non teneat consonantiam, quod oportebat fieri, si tres tonos ac semitonium sensus integre
iudicasset. Quod igitur in singulis tonis minus peruidebatur, id collectum in consonantia euidenter
apparuit. Atque ut perspicue uideatur sensum quidem confusa colligere, nullo modo autem ad integritatem
rationis ascendere, sic consideremus. Data enim linea maiorem uel minorem uel aliam reperire
nihil est difficile sensui. Propositam uero minime ut tanto maiorem quanto uel minorem reperiat,
id non facit sensus prima acceptio, sed sollers rationis inuentio. Vel si rursus datam lineam
propositum sit uel duplicare uel dimidiam secare, id fortasse feliciter paulo difficilius quam confu
se maiorem minorem uero perspicere poterit tamen sensus inuestigatione constituere.
Si uero imperetur ut propositae lineae tripla ponatur uel ab ea pars tertia recidatur uel quadru

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 298(119), p. 136 – Boetii geometria et musica
(http://www.e-codices.ch/en/sbe/0298/136)